

substantia, probat Aristoteles, quia ex non substantiis non componitur substantia: sed ex materia prima componitur compositum substantiale, ergo ipsa est substantia, eaque incompleta, quia est solum pars compositi, at pars dicitur incompletionem, imò est infima omnium substantiarum, vnde de ea loquens D. Augustinus *decimo Confess. cap. 7.* exclamat: *Duo fecisti, Domine, unum prope te, id est Naturam spiritalem, alterum prope nihil, id est materiam primam, unum, quo tu solus superior es, & unum quo nihil inferius est.* Per hoc tamen vltimum non intellige, quòd materia prima sit ignobilior accidentibus saltem naturalibus, quia substantia est genus omnino nobilior accidente, adde quòd substantia quolibet dicitur esse *ens per se*, & accedens *ens in alio*.

Num. 10.
Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis.

Pro vltimo certum debet esse, quòd materia prima sit ingenerabilis, & incorruptibilis, est enim à Deo producta per creationem: Probatur, non enim est ex se, nec ab vllò agente creato, ergo ab increato, quòd est Deus, non inquam est ex se, quia nihil est ex se, nisi solus Deus: nec potuit sibi dare esse, alioquin simul esset, & non esset: esset quidem, quia supponeretur se producere, & non esset, quia supponeretur fieri: nec potest dici, quòd sit producta ab vllò agente creato, vt videtur tenuisse Aui-cenna: Probatur, quia actiones agentium creatorum sunt ex supposito subiecto: sed materia prima est primum subiectum, ergo non potuit fieri per actionem agentis creati: debuit ergo fieri ex nihilo, ergo per creationem, aut vt alij volunt per concreationem eò quòd formæ fuerint simul cum ea creatæ, id est vnicà actione creati: uà Deus produxit materiam primam, & formas eam informantes: ratio est, quia creatio terminatur ad esse totale: sed materia non habet esse totale Physicum: Item nec forma, sed tantum compositum, melius ergo dicitur materia prima concreata, quam creata, quidquid sit de hoc, certum debet esse materiam primam ex nihilo esse productam, nec eam esse æternam, nec ab agente creato in rerum natura editam.

Partitio III.

An materia prima sit ita pura potentia, vt nullum omnino importet actum, nec propriam habeat existentiam?

Celeberrima semper exitit præsens contro- uersia, quam examinât Philosophi, & Theologi. Philosophi in primo *Physicorum* communiter, quos præ multitudine citare non licet. Metaphysici vt Soncinas *oçtavo Metaphys. quæst. 13.* Suarez *disp. 15. sect. 4.* Fonseca *oçtavo Metaphys. cap. 1. quæst. 1.* & alij. Theologi verò, Thomistæ quidem *primâ parte quæst. 66. artic. 1.* & alibi sæpius Scotistæ post Scotum in *secundo distinct. 12.* Vt de Bassolis de Rada, &c. Ibidem Aureolus de Bacono, & Innumeri, quos longum nimis foret recensere.

Statu diff-
cultatis.

Status autem difficultatis non est, an materia prima sit pura potentia obiectiua? certum

enim est, quòd non, nam illud non est solum in potentia obiectiua, quòd est positum extra causas, quòdque habet entitatem, materia autem habet entitatem, ergo non est solum in potentia obiectiua.

Item nec controuertitur, an sit pura potentia Physica, id est an crearet de se omni forma Physica? certum enim est quòd sic, quòd ergo inquiritur, est, an sit pura potentia omnimoda, id est tum Physicè, tum Metaphysicè? seu an illa entitas, quæ est materia prima, sit tota potentialitas? an verò sit quædam actualitas? Thomistæ volunt esse puram potentialitatem, & proinde totam actualitatem, quam habet materia prima possidere beneficio forme, ex quo inferunt, quòd nequidem virtute diuinâ possit sine forma existere.

Scotistæ contendunt, quòd illa entitas, quam habet materia, quamuis non debeat dici esse actus Physicus, debet tamen dici esse Metaphysicus, qui actus Metaphysicus solet vocari actus entitatiuus, quo fit vt à plerisque proponatur præsens difficultas sub his terminis: *An materia prima habeat aliquem actum entitatiuum?* & cum Scotistæ teneant quòd illud omne, quòd habet esse extra causas, habet entitatiuum actum, materia autem prima fit in rerum natura, & posita extra causas, consequenter debent ipsi concedere actum entitatiuum, propriamque existentiam, & subsistentiam.

Vtraque opinio varia habet argumenta, quæ in subsequentiibus Clypeis adducemus, diluimus, & in decisione iuxta veritatem determinabimus de materie primæ actu entitatiuò, eius existentia, atque subsistentia, ista enim videntur aliquantulum se inuicem sequi, si enim habeat actum entitatiuum, ergo existentiam, ergo subsistentiam partialem iuxta regulam Philosophicam, qui habet manus in eodem genere, habet & minus.

CLYPEVS PRIMVS.

Quòd materia prima nullum importet actum, nullamque de se existentiam.

Vtrumque ostendere nituntur Thomistæ primum quidem his rationibus. *Prima.* In rerum natura datur aliquod ens, quòd ita est purus actus, vt nullam prorsus dicat potentiam, nimirum Deus, ergo etiam debet dari aliquod ens, quòd ita sit pura potentia, vt nullum omnino includat actum, hoc autem non potest esse aliud, quam materia prima; Confirmatur, quia extrema debent esse impermixta, hoc est nihil eius, quòd continetur in vno extremo, debet reperiri in altero extremo, nihil enim nigredinis reperitur in albedine, nihil frigoris in calore, ita nil potentialitatis in primo ente, nihilque actualitatis in infimo ente, quòd est materia prima iuxta omnem opinionem.

Num. 11.
Ponitur viginti rationes probantes materiam primam non habere actum entitatiuum. Prima.

Secunda. Ex duobus entibus in actu non potest fieri vnus per se, sed tantum vnus per accidens, ergo cum forma sit quidam actus substantialis, si materia prima etiam include-

ret